



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Anastasio Antiocheno archiepiscopo. Caput XXXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

post Eustochij abdicationem anathema denuntiaverat, Iustinianus edictum scripsit: in quo asseruit corpus domini non esse obnoxium interecioni, neque affectionum illarum, quæ naturaliter insitæ sunt, inque nullam incurrunt reprehensionem, particeps esse, & dominum eodem modo ante passionem comediisse, quo post resurrectionem comedit, & corpus eius sanctissimum nullam conuersionem mutationemve vel ex formatione, quæ in matrice facta est, vel ex voluntarijs naturalibusve affectionibus accepisse, imò ne post resurrectionem quidem: quibus opinionibus vt Sacerdotes & Episcopi vbique assentiretur, compellere instituit. At omnes se Anastasij Episcopi Antiochiæ sententiã expectare respondendo, primum illius conatum depulerunt.

De Anastasio Antiocheno archiepiscopo.

Caput XXXIX.

A Anastasius, vir quidem erat cum in sacrarum literarum cognitione apprime disertus, tum in moribus & tota vitæ ratione adeò exquisitus, vt etiam rerum leuicularum magnam curam haberet, inque illis ne à cõstanti & stabili animi sui proposito decedere vellet, nedum in rebus maximi momenti & ponderis, & quæ ipsum Deum videretur attingere. Quinetiam ita suum temperauit ingenium, vt neque propter lenitatem animi, atque comitatem, nimis facile his rebus, quæ minus rationi consentientes erant, cederet, neque propter seueritatem & inclemẽtiã agrè his, quas recta ratio postulabat, assentiretur. Ac rebus serijs audiendis eius patebant aures, & vt sermone profluens, ita in quæstionibus dissoluendis acutus & perspicax. Rebus autem ineptis & nullius momenti occlusit aures: linguam verò sic quasi freno cohibuit, vt & sermonem ratione moderaretur, & silentium loquela præstabilius efficeret. Istum tanquam turrem imunitissimam oppugnare omni machinarum genere aggressus est, illud scilicet complectens animo, se si istum euerteret, nullo labore ciuitatem totam occupaturum, recta fidei dogmata redacturum tãquam in seruitutem, & ques Christi denique captiuas ab ecclesia abducturum. Verùm Anastasius sic diuina quadam animi celsitate elatus fuit (nam supra firmam fidei petram constitit) vt

Iusti-

Iustiniano per literas suas liberè & apertè cōtradiceret, tū
 perspicuè admodū, tū diserte ostēderet, diuinos apostolos,
 & sanctos patres cōfessos esse atq; adeo tradidisse, corpus
 domini internecioni obnoxiiū esse, & affectionū, quæ sunt
 natura in animis impressæ, quæq; reprehensione carent, par
 ticeps. Eodē modo etiā monachis Maioris & Minoris Sy
 riæ eius de hac re sciscitantibus sententiam respondit: oēs
 confirmauit mentes, ad certamen ineundum præparauit:
 in ecclesia denique lectitauit quotidie illam Pauli, vasis
 electionis, sententiam: Si quis vobis Euangelizauerit, præ
 ter id quod accepistis, etiam si angelus de celo sit, anathe
 ma esto. Quibus omnes, paucis exceptis, assensu, simile stu
 dium erga fidei defensionem declararunt. Idem porrò A
 nastasius cum accepisset Iustinianum velle ipsum in exiliū
 mittere, scripsit ad Antiochenos orationē qua eorum ani
 mos in fide cōfirmaret: quæ certe tum ob sermonis elegan
 tiam, tum ob crebritatem sententiarum, tum ob testimo
 niorum à sacris literis petitorum frequentiam, tum deniq;
 ob historiam, quæ tam commode in ea narrata est, optimo
 iure sanè permagnificanda est.

Gal. I.

λόγος

σωτακ

τήριος.

De Iustiniani morte. Cap. XL.

VERUM Iustiniani edictum diuina prouidentia, qua
 melius nobis prospectum fuit, minime diuulgatum
 est. Nam Iustinianus, qui Anastasio, & suis sacer
 dotibus exilium indixerat, ex improviso percul
 sus, cum triginta octo annos integros,
 & menses octo regnasset, ex
 luce migravit.

QUARTI LIBRI FINIS.

Pp

EVAGRII